

DE DIMENSIONIBVS ORBIVM ET SPHÆRARVM COELESTIVM IVXTA  
Tabulas Prutenicas, ex sententia Nicolai  
Copernici.

APPENDIX M. MICHAELIS  
MÆSTLINI MATHEMATVM IN  
*Tubingens. Academia Professoris.*

**N**E QVID ERVDITISSIMO ET INGENIOSISSIMO doctissimi Mathematici M. Ioannis Kepleri Prodomo, & disertæ Rhetici Narrationi, deesset: operæ pretium duxi, eis, Appendicis loco, Dimensiones magnitudinum, siue altitudinum Sphærarum Mundi, quibus Erratica sidera mouentur, secundum Copernici hypothesen, subiungere. Etsi autem eæ ex ipso Copernico, partim etiam ex Ptolemæo, absq; labore excerpti & conscribi potuissent: malui tamen ab Erasmo Rheinholdo eas accipere. Ipse enim, sicut in Tabularum Prutenicarum præfatione protestatur, & earum tabularum numeri attestantur, obseruationes & demonstrationes à Copernico propositas, multò exactiùs & accuratiùs, quàm ipse Copernicus, discussit, ideo numeros, quibus Rheinholdus Mundi Sphæras dimensus est, & ex quibus illas suas, Prutenicas dictas, tabulas confecit, tanquam perfectiores sequédos existimo. Optandum autem esset, Rheinholdi Commentarium in Copernici libros, vel potiùs in suas Prutenicas Tabulas, aliquoties ab ipso promissum, in promptu esse, ex eo enim non tantùm dimensiones has describere possemus, sed etiam plurimis adminiculis ipsa Astronomia, pro defectibus, quibus adhuc laborat, faciliùs restituendis, magnopere haud dubio adiuuaretur. Quia autem inopinata & immatura viri morte tam hoc, quàm alia vtilissima opera interrupta fuerunt: altera quæ restat via tentanda est, qua retrograda methodo à fine ad initium recurritur. Numeri igitur in Tabulis ipsius scripti, resoluendi, & ex eis illi, quos Reinholdus diligenti obseruationum & demonstrationum examine, pro condendis illis ipsis Tabulis,